

עמאמא

EXERCITATIO PNEUMATICA,

De

VITA DEI,

Quam

Amplisfimi Senatus Philosophici,

Almam illustrantis

PHILYREAM,

Autoritate ac Suffragio

Publico placidoq; Eruditorum Examini,

MODERATOR

M. JOHANNES HINRICUS
ELMENHORST,

Hamburgens.

Ad d. Septembr. A. clo Ioc XCVI.

H. L. C.

submittit,

RESPONSURO

JOHANNE HINRICO PLINIO,

St. Goarensi Rhenano.


LIPSIÆ, Typis Gœzianis.

oll. diss. A
9, 56

37
45

a. XXI/X. 56.

Sachs.
Landes-
Bibl.



ΤΗ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΖΩΝΤΟΣ, ΑΝΕΞΕΡΕΥΝΗΤΟΥ
ΚΑΙ ΑΝΕΞΙΧΝΙΑΣΤΟΥ ΧΑΡΙΤΙ.

§. I.



Ari in DEO attributa, alia *positiva*, seu *affirmativa*, Petavio *Dogmat. Theolog. Tom. I. Libr. I. Cap. V. §. 6. p. 33. agentia, negativa, argu- tivè tamen, ut loquuntur, itidem positiva, alia, Theologorum Vete- rum, quos vide sis apud Petavium l. cit. allegatos, pariter ac Moderno- rum B. Quenstedii System. Theol. Tom. I. Cap. VIII. sectione 1. thes. 5. Bajeri, Theologia Positiv. Part. I. Cap. I. §. 7. & c. nec Phi- losophorum, Ebelii Opp. Philosoph. Tom. II. pag. 212. Donati Pneumat. in Institut. Part. special. Cap. V. §. 25. seqq. minus, cum communis ferè sit doctrina, manifestum est.*

§. II.

Ea verò priora, si cœteroquin Tanneri Jesuitæ *Theolog. Schol. Dissp. II. quest. II. dubio I. p. 188.* iudicio, in duplici por- rò sint differentia, alia *absoluta*, seu *quiescentia, operativa alia, vel maximè primùm ceu operationis principium, posterioribus annumeratur Vita DEI, quâ de, non obstante, quod ante nos, Iliada adeò post Homerum scribentes, cum & eò facilius in- ventis, methodo paululùm diversâ, aliquid addere sit, & nobi-*

lissimum illud objectum à finito nostro intellectu satis rimari, mirari forsàn, nequeat, ab aliis vel Theologicè, conf. D. Joh. Christoph. Bielefeldt. sub præsidio *de Vita DEI dissertationem Giefs. Hassor. A. 1695. habit. Theologicam, & ex Reformatis Petri Jurieu theses, quas dissp. Theologorum Sedanens. Tom. II. p. 1023. invenies, de vita Dei Theologicas, vel Philosophicè, Pneumaticis passim, hoc nostrum thema legeres pertractatum, in præsentì, rudi, per ingenii nostri, in hac ab omni sensu remotissima materia, hebetudinem, penicillo, vivificantis omnium vitarum, scaturiginis ac pelagi auxilio, æquis insuper censoribus, freti, nonnulla, eâ, ex hypotbesi Philosophorum quorundam modernorum essentiam existentia præponentium, observata methodo, ut dicenda definito, dein definitioni, definitionis demum rationibus formaliter propositis, includamus, repræsentare brevibus conabimur.*

§. III.

Definitum, in sensu neutiquam aliàs Philosophorum riguroso, quod concernit, binos animadvertimus involvere conceptus, quo de posteriori, utpote non hujus ob amplitudinem loci, non adeò solliciti, quo ad vitam, quæ DEO T.O.M. convenit, sensim etiam & veluti per gradus, assurgamus, more recepto, vitæ ut sic α) Etymologiam, β) Homonymiam, & γ) Synonymiam, remotis à Deo removendis, si definito ordine perlustremus, à præscriptis non aberrabimus dissertationis regulis.

§. IV.

Vita, Johanne Gerhardo Vosio, in *Etymol. lingua latina*, sub voce hâc, autore, à vi dictam probat Varro, illo Lucilii:

Vis est vita, vides, quæ nos facere omnia cogit.
sive ut est in aliis libris;
- - - *vis vos facere omnia cogit.*

Quod

Quod si ita est, quidni DEO, infinitâ, immensâ, æternâ, virtute, vi & potentiâ omnem humanum excedente captum, eminenter prædito, vita, vis competeret potentissima, ætuoſissima?

§. V.

Ὁμοιύτως autem sumitur vita α) *impropriè*, vel pro δύναμι ἐνεργητικῇ *quavis*, prout vel fama, vel aqua è fonte ebulliens, mortuæ stagnorum opposita, viva Dannhauero *Colleg. Ψυχολογ. dispp. 1. de Vita & Morte. Controv. 1. p. 34.* Clotzio in *Theol. natural. dispp. XII. §. 1. p. 641.* Petro Gassendo *Opp. Tom. II. Libr. XIII. Cap. 1. pag. 582.* Anton le Grand *Institut. Philosoph. Libr. VII. Cap. I. p. 513.* Sedanensibus *dispp. Tom. II. p. 1023.* dicitur; vel *accidentaliter* (essentialiter enim in rebus sub sole sitis viventibus est juxta Gassendum *l. c.* ipsa forma informans anima) *pro vitali operatione*, Tannero *Theol. Schol. II. quest. 8. dub. 1. p. 421.* Doctore etiam Angelico *Part. 1. quest. 18. art. 2.* It. Dominic. Bannesio *in loc. Thom. citat. p. 235.* Gassendo pariter *l. c. & c.* observantibus. Hinc qua utitur similitudine Thomas; sicuti *corpus*, pro tribus, quibus constat dimensionibus, usurpari solet: Ita pari ratione nonnunquam ipsam *DEI intellectionem & volitionem* ceu vitæ *actus* respectu nostri *elicitos*; vitam testaturos, *DEI* appellant Philosophi vitam. Conf. Heins. *Theol. natur. Acroamat. Cap. 7. §. 18. pag. 143.* β) *propriè* autem accipitur α) *Metaphysicè*, aut pro *actu primo* principali ac radicali, aut pro *actu secundo*, acceptione tamen respectu *DEI & hominum* planè *diversâ*. Hominum enim vita in actu primo considerata, juxta Ebelium *Opp. Philos. Tom. II. pag. 622.* dicitur *principium aggenerationis internum per intus assumptionem*; In actu autem secundo, est ipsa aggeneratio per intus assumptionem, à principio activo intrinseco elicitâ, in quo est, qui cum realiter invicem, ut principium & forma differant, omninò *imperfectionem*, dum sese actuant, movent ac perficiunt.

ciunt, *causaliter* & *effectivè* invicem. Vita verò DEI in
actu primo spectata est *ipsa DEI essentia*, sive natura per mo-
 dum principii operationis vitalis immanentis *concepta*. In
actu autem secundo est *ipsa operatio immanens*, *discrimine* ex
 DEI parte, cujus tò esse & vivere sic planè coincidunt, cum
 sit *actus omnis potentia passiva expers*, purissimus, mereq; *sub-*
stantialis, non hominum item *accidentalis*, neutiquam *reali*.
 Conf. Suarez. in *Metaphys. dispp. XXX. sect. XIV. n. 6*. Ebel. *Opp.*
Philos. Tom. II. pag. 622. & 1230. Donat. *Pneumat. p. 205*. Bajeri
Compend. Theol. posit. Part. I. Cap. 1. §. 14. p. 207. sive dein re-
 spectu *causarum secundarum*, quomodo *Creaturarum vita*
 comparata est, vel *omnis cause promoventis*, quæ solius DEI
 vita est, notante id Petro van Mastricht, Theologo jam Re-
 formatorum Ultrajectino, *Theolog. theoret. Pr. Libr. II. Cap.*
XII. thes. 6. p. 224. b) *Physicè*, vel cum Klozio in *Theol. natural.*
Dispp. XII. §. 2. p. 645. prædicamentabiliter spectata vitam vel
vegetativam, vel *sensitivam*, vel *mixtam* ex utraq; animalium
 denotat. Est autem *vita plantarum vegetativa*, quando *fa-*
cultates nutriendi, augmentum capiendi, sibi simile procre-
 andi, exercent, sicuti *vita animalium sensitiva*, quando insu-
 per *locomotivam* & *sensitivam*, qua proficuum à noxio alterum
 eligendo, rejiciendo alterum, discernunt, *præstantiores*. Cum
 verò hæ facultates corporum naturalium *physicæ materiales*
 & *incompletæ* multisq; cum *imperfectionibus conjunctæ*, DEO,
 actui, ut *purissimo*, ita *perfectissimo*, tribui nequeant, illum c)
pneumaticè, seu, ut loquitur Kloz *Pneumat. l. c. p. 646. trans-*
scendentaliter vivere *vita intellectuali, rationali eminentissimâ*,
 aut si Donati *l. c.* sequaris, *intentionali*, terminis largiter sum-
 tis, relinquitur. Vide sis Donat. *Pneumat. parte generali cap. 3.*
§. 22. p. 24. Kloz. *l. c. p. 645*. B. Walth. in *Colleg. MSCto ad Köni-*
gii Theol. positiv. §. 57. Sedanenses *l. c. p. 1024*. Alting. *Method.*
Theol. didact. Opp. Tom. V. p. 76. Van Mastricht *Theol. Theoret.*
Pr,

Pr. Lib. II. cap. 12. th. 6. p. 224. It. in Gangrena Novitat. Cartesian. sect. poster. cap. 8. p. 243. Joh. Andr. Schmidt in Theol. natural. positiv. §. 18. lit. b. p. 71. f. Ut aliàs Aristotelis, Dannhauero Colleg. Ψυχολ. l. c. p. 34. It. Rabbior. Hackspanio ad Lipmanni Nizachon Cap. 3. §. 78. p. 458. & Altingio Opp. T. I. p. 86. a. 6. recensitas sicco præteream pede acceptiones.

§. VI.

Homonymiam excipit *Synonymia*, quæ vel *græca* (*Græci* aliàs *Philosophi veteres* DEUM ob vitam ζῶον item ζῆνα, eo quod excellenter & eminenter ipsi competat vita, extra hodiernum usum, ut est apud Donat. in *Instit. Pneumat. part. special. cap. X. §. 4. p. 205. Sedanenses l. c. p. 1030. Van Mastricht in Theol. Theoret. Pr. Lib. II. cap. XII. p. 223. appellarunt*) vel *Ebraica*, vel *aliarum etiam linguarum*, ut *parum* ad nos spectant, ita minus eò de illis differendi erit necessitas.

§. VII.

Enucleato ita breviter definito, *definitionem* variis Patrum, tum *Græcorum*, tum *Latinorum*, *Philosophorum* itidem *Platoniorum*, quas Opere, quod ceu cimelium quoddam literarium ex *instructissima selectissimaq; Bibliotheca, Vir selectioris scientiæ omnis consultissimus, rei illud literariæ, supra omnem positum laudem nostram, decus, Dominus Licent. Ittigius, Polybistor celeberrimus, quem, ut hospitem propitium, ita Evergetam, Præceptorem ac Promotorem meum devotè deveneror Maximum, Theologicorum dogmaticorum nomine insignito, & Parisiis A. 1684. edito, Tom. I. qui agit de DEO DEIq; proprietatibus, collegit Ludovicus Thomassinus Jesuita Lib. III. Cap. 25. & 26. à pag. 182. ad 191. inclusivè, omiffis, dabimus sequentem: Vita DEI est ejusmodi actuositas, qua is per actus immanentes inorganicos sese actuat, modo perfectissimo. Singula verba singulis gaudent ponderibus. Dixi, *definitionem* non rigorosè, sed licentia Philosophorum jam recepta laxè pro de-*

scri-

scriptione, uti enim *DEI infiniti & incomprehensibilis* quiddita-
 tem investigare, *aliis licet aliter visum*. Conf. Reines. *Extr.*
Theol. technicæ Loc. III. thes. 6. p. 34. B. Scherz. *Syst. Loc. II. §. 3.*
p. 36. Donat. *l. c. part. spec. cap. 4. §. 13. p. 116.* Danh. *Hodos. Pha-*
nom. 3. p. 179. in hac mortalitate nequeamus, unde nobis *ex*
parte DEI formalis vitæ *DEI* ratio, in multis etiam *naturali-*
bus abscondita, ad exquisitam tamen, adæquatam ac perfe-
 ctam definitionem requisita innotescet? Unde apprimè Epi-
 scopii, Arminiani licet, huc quadrarent verba in *Instit. Theol.*
Lib. IV. cap. XV. p. 296. quæ leguntur; *Vita DEI*, inquentis, *quid sit*,
 (adæquatè nimirum à priori & comprehensivè) *nec necesse est*,
nec possibile nobis in hac vita scire, usurpatam, quam si resolve-
 re liceat, illius vel *quasi genus* sive, si mavis, potius *conceptum*
communem, vel *contrabibilem & proprium*, seu *differentialem*,
aut contrabentem contemplemur. Est autem nonnullis, v. g.
 Donati *l. c. p. 204.* Quenstedt *Syst. Tom. I. Cap. 8. sect. 1. thes.*
22. not. 2. p. 289. Van Mastricht *Theol. Theoret. Pr. Lib. II. Cap.*
XII. thes. 9. p. 225. It. in *Gangren. Novit. Cartes. sect. poster. th. 2.*
p. 244. Cloppenb. *Opp. Tom. I. p. 739.* Baumio in *Actu Reflexo*
Cartes. p. m. 211. Gùrtlero *Instit. Theol. cap. 3. §. 167. p. 51.* Altin-
 gio *l. c. p. 77.* *actuatio sive actuositas*, vis item *actuosa actualis-*
sima, aut barbarè *actuativa*, *actus & actualitas*, quam ratio-
 nem eam ipsam esse divini actualis interminati, sive actuali-
 tatem essentia divina interminatam, vel ipsam actualitatem
 essentia divina *rationem per se*, primò ac completè adeoque *ul-*
timò quasi constitutivam essentia *DEI* non incommodè cum
 Tannero *Theol. Scholast. Disp. II. de DEO, quest. 1. dub. 1. p. 181.*
 dixeris; *aliis*, ut Episcopio *Instit. Theol. Lib. IV. cap. XV. p. 296.*
 Curcellæo *instit. Theol. Lib. II. cap. V. §. 1. p. 47.* *vigor vel effica-*
cia interna ac continuatio, quâ *DEUS sese intus agit*, & *extra*
se ire sive seipsum ad extra operandum promoveri aptus est, Tho-
 massino *l. c. Lib. III. Cap. 26. th. 7. p. 187.* *operatio substantiva*,
 Seda-

Sedanensibus *Tom. II. pag. 1023.* motio sive motus. Actus, inquam, *α) perfectissimus* finem per media non respiciens, non mera ac nuda *contemplatio* à nobis expositus, quicquid etiam contrà, ex Thomâ *P. I. summ. Theol. quest. 14. artic. 16. & Libr. I. contra Gentes Cap. 98.* sentiat Autor Theologiæ naturalis *Acroamat. cap. 7. §. 19. pag. 144.* nec *β) in rigore Philosophico*, motus, imperfectionem in subjecto, ceu actus cum potentiâ imperfecti, connotans; sed *generaliter*, pro operatione seu motu quovis, cum actu etiam, ut loqui amant, perfecti. Conf. Sedanens. *Tom. II. p. 1023.* & Dom. Bannes. *in l. c. Thoma p. 235.* *γ) internus* sive *intrinsecus* vel *immanens*. [An enim plantarum vita ab intrinseco, an verò, ut moderni volunt, ab extrinseco per particulas eveniat, cum hîc disquirendi non sit locus, determinare nolumus.] *δ) ut varietate* sive pluralitate operationum, ita etiam ab externo motore independentiâ, *præstantissimus*. *ε) Ultimus*, nullam enim se priorem nec posteriorem agnoscit operationem. *ζ) Purissimus*, omnem passivam excludens potentiam. *η) simplicissimus*, omne essentia divina extraneum removens. Vide sis Kloz. *l. c. §. 6. p. 650.* *θ) creaturis* etiam quadantenus, i. e. secundum quid & *dependenter*, vel dein *non univocè*, ob finitum inter & infinitum distantiam, nec *equivocè* saltim sive solo nomine tenus, quia ex cognitione vitæ creaturarum in creatoris venimus, sed *analogicè*, adeò, ut DEO primariò, *ἰσioδῶς*, principaliter, originaliter, *ὑπεροχικῶς*. Creaturis verò per participationem & cum gradu, ut est inter voluntatem, justitiam & misericordiam DEI & hominum, *diminutionis*, competat, *communis*. Conf. Suarez. *Dispp. Metaphys. Disp. xxx. sect. 14. n. 14.* Van Mastricht *Gangr. Novit. Cartes. sect. post. cap. 8. th. 2. p. 244. it. in Theol. Theoret. Pr. Lib. II. cap. 5. th. 7. p. 170. & Libr II. cap. 12. th. 9. p. 225.* Maresius *Syst. Theol. Loc. 2. §. 36. p. 82. f.* Ex his vel maximè, quod DEI omnium vitarum vivacissimi, *vita pervigil in activitate* à parte DEI tamen *non positivâ*, quasi

B

DEUS

DEUS per verum influxum effectivum cum reliquis vivat creatis dependenter, *sed negativâ*, [ita enim nobis viatoribus per hanc mentis nostræ caliginem philosophari licet] id est, quod istam actualitatem à *nullo* possideat acceptam. Vid. Kloz. *l. c. §. 6. p. 649.* in operatione substantiva operosissima, actuositate actuosissima, motione irrequieta, conceptu nostro, cæteroquin ex DEI parte, ut meram essentiam nil differre ab ejus essentia, *antiquis* etiam probatum ostendit Petavius *Dogmat. Theol. Lib. V. cap. 11. n. 2. p. 371.* sit sita, facillimo deprehendimus negotio.

§. VIII.

Cum verò vita actionem non modò, *ut sic & simpliciter talem* det, verùm etiam, ut scienter, volenter, potenter agamus, *modificet*, sequuntur illa in definitione verba; *per actus immanentes inorganicos*, i. e. intellectionem & volitionem, non quasi *ipsisissima* sit *intellectio & volitio*, sive *mera*, nuda, pura & pura respectu nostri saltim DEI *cogitatio*. Quamvis enim intellectus & voluntas DEI ex parte DEI unius ac simplicissimi actus, imò, uti diximus, *mera essentia & in sensu*, ut ajunt, *identico*, multis Theologorum pariter ac Philosophorum, vita DEI nil sit nisi *ipsisimum* *id est intelligere & velle*. Conf. Cocceji *Summ. Theol. cap. X. pag. 144.* non tamen *formaliter & secundum nostrum concipiendi modum*, quo vitam, intellectum & voluntatem diverso considerantes conceptu, illos differre actus, ut *actuans & actuandum*, & eo quod *vita* reliqua ferè omnia *quasi substernantur* attributa, asserimus, coincidunt. Vide sis van Mastricht *in Gangr. Novit. Cartes. sect. poster. cap. 8. §. 2. p. 243. & in Theol. Theoret. Pr. Libr. 2. cap. 12. §. 9. pag. 225.* Sedanens. *Dispp. Theol. Tom. II. pag. 807.*

§. IX.

Quod si enim formaliter vita, intellectus & voluntas
DEI

DEI non differrent, *quanta* oriretur in intellectu concipi-
ente nostro *confusio*? nonne justitiam, decretum & provi-
dentiam pari evinceret ratione esse DEI vitam; Quinimò,
si, quod Wittichianum esse dicitur placitum, si planè à parte
nostri vita DEI nil est, nisi *mera ipsius cogitatio*, aut beatitudi-
nem, aut infinitam ejus potentiam [à generatione enim Filii
DEI, & spiratione Sp. S. activâ & passivâ cum clarissimo Van
Mastricht argumenta petere valida æque, cum hujus non sit
fori, supersedeo] vel non pertinere ad DEI vitam, vel nil esse
nisi meram cogitationem, pari asseras, evitans scyllam & in-
cidens in charybdin, soliditate, necesse est. Adhæc, posi-
ta de cogitatione infinitâ, omnium attributorum congerie,
absolutâ, hypothese, nonne entia præter necessitatem multi-
plicarentur omnia? Conf. Van Mastricht *in Gangr. Novit. Car-
tes. sect. poster. cap. 8. th. 4. p. 245.*

§. X.

Hactenus conceptus quasi genericus sive communis,
nunc, ut de conceptu *differentiali* proprio vel contrahente
paulisper dispiciamus, ordo flagitat propositus. Illa autem
his absolvitur vocibus; *modo perfectissimo*, i. e. vivit DEUS
α) *vitâ increatâ*. Creaturæ non item. β) DEUS *absolutè*,
simpliciter, κατ' ἐξοχήν & *eminenter*, *in abstracto tali*, ab ejus ef-
fentiâ neutiquam diversâ. Creaturarum verò *viventium*
saltem quædam est ab essentia vivendi facultas distincta. γ)
independente. Creaturis verò *precario* & *dependenter* solum
competit. δ) *simpliciter immortali*. Creaturæ verò, uti per
absolutam DEI omnipotentiam ex nihilo, ita in nihilum re-
ducibiles. Conf. B. Scherzeri *Syst. Loc. IV. §. 9. p. 102. mortali*
& *finitâ*, vel à parte ante sive à capite, quia vel vitam pla-
nè non habuerunt, vel à parte post, ad calcem, ab extrinseco
per DEI absolutam potentiam non habituræ. ε) *aternâ*, æ-
ternitate, juxta illam Boetii accuratam definitionem, illâ u-

trinq; interminabili vitæ simul totâ ac perfectâ possessione. Quæcunque enim perfectio, si Petrum Gassendum (*supra cit. p. 306.*) audias, *in DEO unquam fuit, ea jam actu perseverat, & quæcunque in eo unquam erit, ea jam actu est, & nunquam non fuit, & quæcunque jam est, ea jam actu semper fuit & actu semper erit.* Creaturas verò vivere vitâ fluxâ, evanidâ, cum motu & successione conjunctâ dies saltim docere nos possunt singuli. Confer. Cloz. *loc. cit. pag. 652.* n) *activâ, non contemplativâ, nec tamen actu primo & secundo distinctâ. Vide sis Suarez. Dissp. Metaphys. diss. XXX. sect. 14. num. 6. Donat. Pneum. Part. special. Cap. X. §. 3. pag. 205. Ebell. Opp. Tom. II. pag. 622. & 1230. Thomass. loc. cit. Cap. 26. thes. 7. pag. 187. nec ζ) actu secundo tali, sine interveniente actu primo immediatè ab ipsa DE I essentia elicitò; sed sine aliquo reali ad essentiam divinam addito. Conf. Cloz. loc. cit. Dissp. XII. §. 6. p. 658. adeoq; non per modum actus ad essentiam accedentis se habente, uti observat Episcop. Institut. Theol. Libr. IV. Cap. XV. pag. 296. θ) verâ, non imaginariâ, ι) essentiali, immediatè per essentiam, ut propriâ & quasi specificâ ratione, secundùm Suarez. Dissp. 30. sect. 14. num. 15. Donat. l. c. §. 3. Quensted. Syst. Theol. Tom. I. cap. 8. sect. 1. thes. 22. not. 2. pag. 289. Rappolt. Opp. Theol. pag. 10. κ) formali ut sic nullam formaliter inferente imperfectionem. Vid. Cloz. l. c. §. 4. pag. 647. Suarez. l. c. num. 7. Ebell. Opp. Tom. II. pag. 1230. λ) Effectivâ, eo quod omnia à DEO omnium non quidem formaliter, sed causaliter vel secundùm quod, juxta Bannes. in Loc. Thomæ citat. habeant esse in DEO intellectum, vita, acceptam ferant vitam. Conf. Quensted. loc. cit. not. 1. pag. 289. ita, ut, autore Thomassino l. c. Lib. III. cap. 20. §. 10. pag. 184. minuscula & extrema vitæ, vel vivendi potius umbra, in animalculis vilissimis obvia, ab illa vita summa, in minimis maxima, ut dependeant, ita quodammodo illam emulentur, imitentur. μ) simplicis-*

plicissimâ, per meram essentiam. v) *perfectissimâ*, perfectione tum *extensivâ*, nulla enim datur possibilium perfectionū species, quin in creatore deprehendas, tum *intensivâ*, eminentissimo ac perfectissimo gradu. Vide sis Cloz. *Theol. Nat. l. c. p. 652.* o) *beatissimâ*, ex DEI perfectione absolutè & simpliciter tali & sufficientiâ conspicua. Conf. D. Bielefeld *Diff. Theol. de Vita DEI Cap. II. p. 14.* Danh. *Hodos. Phæn. III. pag. 206.* Van Maastricht *Theol. Theoret. Practic. Lib. II. Cap. 23. p. 370.* Episcopius *Instit. Theol. Libr. IV. cap. 15. pag. 296.* Suarez. *Metaphys. Disp. xxx. sect. 14. num. 16.* Donat. *Pneumat. cap. x. §. 16. s. pag. 207.* Cloz. *Pneumat. Disp. XII. §. 7. p. 652.*

§. XI.

Definitioni autem ita brevibus explicatæ, suas merito jungimus *rationes*, eò ut singulis robur suum constet melius definitionis membris, singula partim à priori, à posteriori partim, quantum quidem intellectui convenit humano, probaturi.

§. XII.

Quapropter, DEUM, quamvis esse viventem, imò ipsissimam omnium viventium vitam, naturâ magistrâ, à posteriori non solùm evidens, sed & concessâ de DEO existente hypothese, per se notum videatur, ita, ut Suarezio *Disp. xxx. sect. 14. num. 3.* Tannero *Theol. Scholast. disp. II. de DEO, quest. 8. dub. 1. pag. 421.* fatentibus, nullus, ne idololatra quidem, unquam tam fuerit *stolidus aut vecors, qui DEUM habere vitam & scientiam negaverit*, nihilominus bonæ *μεθόδου* ergò, illam, ex triplicibus Scholasticorum, quibus modum aliàs existentiam DEI cognoscendi, tradunt, *causalitatis* nimirum, quâ de omnium fusissimè eam ex *μαρτυροῦ* & *μνημονόσμων* eruens legi meretur Theophilus Raynaudus *Opp. Tom. V. disp. 5. quest. 1. art. 6. à p. 222. ad 290. eminentiæ & negationis viis sive scalis commodè evinceret.*

§. XIII.

Quod si enim nobis viam causalitatis seu juxta B. Danhauer. *Hodos. Phænom. II. p. 188.* Symbolicam in ipsis etiam sacrarum literarum pandectis passim obviam, observantibus, formaliter terminos colligere liceat, ita ratiocinamur: Si datur effectus sive creaturæ viventes, dabitur etiam dubio procul causa aliqua prima & principalis movens, Deus Creator. Atqui prius ex inductione omnium plantarum, animalium, hominum verum est. Ergò & posterius. Probatur connectio trito Philosophorum axiomate; Nihil est perfectionis, essentialiter, in effectu, quod secundum identitatem specificam, non præexistat formaliter in causa principali. Vide sis Prückneri *Nucleum Philos. Axiomat. pag. 360.* Suarez. *loc. cit. n. 3.* Oloz. *Pneumat. Diss. XII. §. 3. p. 647.* Ebel. *Opp. Philos. Tom. II. p. 1230.*

§. XIV.

Ulterius viæ ductu Eminentia, sive, ut loquitur B. Danhauer. *Hodos. Phænom. II. pag. 187. abstractiva* tale nectimus ratiocinium; Propter quod unumquodque tale est, illud ipsum magis tale est. Atqui propter DEI vitam Creaturarum est. Ergò DEUS vitam, utrique extremorum competentem magis & eminenter, in tantâ eminentiâ, cum aliis DEI perfectionibus habebit, ut quicquid, docente Parisiensium celeberrimo Mathematico, Petro Gassendo, *Opp. Tom. I. p. 302. præclari de illis capimus, sit longè, quàm vel atomus ad hoc universum minus, maximè cum in DEO sint perfectiones, quas ne subodoremur quidem, alia.* Major philosophicus canon. Confer. Prückner. *l. c. p. 350.* sua radiat luce. Uti enim rectè colligo: Luna est lucida propter solem. E. Sol magis erit lucidus. Ita pari ratione, quando ita infero: Creaturæ sunt viventes, quia DEUS est vivens creator. E. Creator magis & eminenter vivit, ratiocinando non peccarem. Minor ex de-

penden-

pendentiâ Creaturarum vitarum à Creatoris manifesta erit.
Conf. Suarez. *l. c. n. 3.* Ebel. *Opp. Tom. II. p. 1230.*

§. XV.

Ex via demum negationis, aliis Theologia negativa, talem formo Syllogismum: Cujuscunque vita est sine actus primi & secundi differentia, & sine omni reali ad essentiam divinam addito, qualis in nullam creaturarum cadit perfectio, ille utique vivit, modo etiam eminentissimo & perfectissimo. Atqui DE I vita &c. E. Major patet, quia quo simplicius est quid, eo etiam perfectius est. Minoris pluribus probationem deinceps dabimus, jam eleganti Regii illius Professoris citati, effato: *DEO detrabi debet, quicquid etiam umbram, aut suspicionem imperfectionis invehere potest, quia ei, ut inexhausto pelago, nec satis perfectionis tribui, nec satis imperfectionis adimi, aut de eo negari, in quo nulla est imperfectio, contenti.*

§. XVI.

Adhæc DEI vitam probat etiam *Spiritualitas*. Arguo: Quodcunque est ens spirituale, illud vivit, vitâ ad minimum intellectuali. Atqui DEUS &c. E. Majorem ex eo, quia tò spirituale semper aliquam involvit actuositatem, do manifestam. Minor ex immaterialitate luculenter constabit. Conf. Cloz. *Pneumat. l. c. §. 4. pag. 647.* Joh. Andr. Schmidt *in Theol. natural. p. 72.*

§. XVII.

Nec minus ex *vita perfectione* pro DEI vita sic colligendo pergimus: Quicquid est perfectio simpliciter simplex, illud DE O utique competit. Atqui vita &c. E. Majori suum exinde, quia perfectionis omnis principium fons & scaturigo est ens absolutè perfectissimum, DEUS, accedet robur. Minor stabilitur, quia vivens, *cæteris paribus*, præstat
non

non vivente, adeoque perfectio est. Vide sis de hoc argumen-
to Suarez. *l. c. sect. 14. num. 4.* Tannerum *Theol. Scholast. Dissp.*
II. de DEO, quest. 8. dubio 1. pag. 221. Van Mastricht *Theol. Theo-*
ret. Pract. l. c. §. 4. pag. 224. Donat. *l. c. pag. 205.* Ebel. *Tom. II.*
pag. 622. §. 1230.

§. XVIII.

At enim verò : Nego, inquis, minorē propositionem eā ex ratione, quia vita intrinsecè includit *imperfectio-*
nem, quæ est se movere & movendi potentiam habere. Ergò
vita non erit perfectio simpliciter simplex. Resp. hoc ipso
vides discrimen inter Creatoris & Creaturarum. Dein, nec
illud inter actum primum & secundum discrimen sive im-
perfectio, si unà cum Suarezio Ebelium sequaris, pertinet
ad vitam *ut sic*, multo minus *ad DEI* vitam. Confer. Ebel.
Opp. Tom. II. pag. 622. ubi pluribus ex Suarezio repetitis, eadem
ferè leguntur.

§. XIX.

Porrò vitam inesse DEO, *ipsisimus* nos edocere de
DEO poterit *conceptus*. Arguo : Quicumque, quando con-
cipitur, non nisi, ut ens perfectissimum, ut conditor, ita & re-
ctor hujus universi, menti repræsentatur nostræ, illi utique
natura horum omnium capax tribuenda erit. Atqui DEUS
&c. E. Majorem & Minorem ex hypothese de DEI existen-
tia facilè dabunt. Videtis istud Curcellæi argumentum *in*
Instit. Relig. Libr. II. Cap. V. Opp. pag. 47.

§. XX.

Accedit, quod DEUS operationibus, *intelligendi* nimi-
rum & *volendi attributis* gaudeat perfectissimis, vitalibus.
Hinc ita à posteriori colligo : Quicumque est præditus intel-
lectione & volitione, ille utique vivit. Atqui DEUS &c. E.
Majoris ex eo liquet nervus, quia intellectio & volitio actus
vitalis

vitales, dubio procul supponunt naturam sive principium vitale. Minorem pluribus probatam alibi passim apprehendes. Conf. B. Gerhard. *Loc. Theolog. Loc. II. §. 104. & 205. it. in Exegesi Loc. II. §. 782 & 83. Thomas Part. 1. quest. 18. artic. 3. & ipse etiam Stagirita apud Suarezium loc. cit. num. 9. & Raynaudum Opp. Tom. V. dist. 8. quest. 1. art. 1. pag. 427. it. Tanner. Theol. Scholast. disp. II. quest. 8. dub. 1. p. 421.*

§. XXI.

Ex *vita* autem *formali ratione* illud sistimus argumentum: Cuicumque convenit ipsa formalis vitæ ratio, ille utique vivit. Atqui DEO &c. E. Major stabiliri potest, quia vita in suo formali conceptu dicit motum internum, immanentem. Jam verò DEUS maximè omnium ex se agit, cum & intrinsecum sibi vitæ principium *pro captu nostro* habeat, nec ab ullo objecto externo quicquam accipiat. Confer. Cloz. *l. c. §. 4. p. 647. Raynaud. l. c. p. 427.*

§. XXII.

Pariter vitam DE I etiam *ipse* DE I adstruet *cultus*. Infero: Quicumque est colendus, ille vitâ præditus sit necesse est; Atqui DEUS. E. Majorem firmo, quia idolis aut aliis hujusmodi rebus inanimatis cultum exhibere religiosum contra omnem sanæ rationis est usum. Minor principium practicum est nobiscum natum. Vide sis Episcopium *l. c. Van Mastricht Theol. Theoret. Pr. l. c. p. 225. seq.*

§. XXIII.

Sicuti denuò *jus DEI vitæ & necis* concinnum hoc potest subministrare argumentum: Quicumque habet vitæ & necis in creaturas jus, ille vivat oportet. Atqui DE-
C US

US &c. E. Majorem roboro, quia jus illud in res minimè gentium cadet inanimatas. Minoris vis ex dependentia vitæ, vel quia DEUS est fons & autor vitæ innotescet. Conf. Cloppenburg. *Opp. Theol. Tom. I. pag. 732.*

§. XXIV.

Denique, quod si ipsius *conscientiæ terroris ac tremoris principium* consideremus, inde pro DEI vita istiusmodi nascitur ratiocinium: Quemcunque timent & fugiunt malâ conscientia acti malefici homines, ille utique vivens est. Atqui DEUM, quamvis, juxta B. D. Hildebrand. *Instit. Theol. Diss. IV. thes. 9. pag. 61.* non præcisè, tamen *vim* aliquam *humanâ superiorem* &c. E. Majoris probatio est, quia res mortuas non curamus nec timemus. Minoris ipsa erit experientia.

§. XXV.

Et quod ultimò vel maximè urgemus; Sublatâ DEI vitâ *omnia* ejus *attributa* per vitam actuosa in fumum abirent *frustranea*. Atqui implicat consequens. E. DEUS vivit. Confer. omninò Van Mastricht *in Theol. Theoret. Pract. Libr. II. Cap. XII. §. V. pag. 224.*

§. XXVI.

Vivit autem, ut asseruimus, vitâ intellectuâli sive merrâ intellectiõne DEUS. Hanc, Philosophis etiam antiquis, DEUM inde ζῶον λογικὸν ἢ νοερὸν καὶ προνοητικὸν, *ens* vivum rationale aut intellectuâle & providentiâ præditum appellantis, cognitam, cum eadem ferè pro eadem, quæ allata pro DEI vita militent argumenta, nec unquam ullus tam fuerit, monitu Van Mastricht *Theol. Theoret. Pract. Libr. II. Cap. XIII. thes. 4. pag. 234. barbarus, qui intellectum*
DEO

DEO abrogarit, pluribus ut stabiliamus, non duximus con-
sultum. Sufficiat jam unicum illud adduxisse: Quicumque, ut
agens præstantissimum omnia non casu aut fortuito, nec ce-
merè aut coactè, sed ratione, consilio ac proæresi ad certos
dirigit fines, ille vivat intellectuali vitâ, palam est. Atqui DE-
US &c. E. Major ex terminis clara est. Minorem ex in-
ductione omnium omninò, dirigente primariò DEO, agen-
tium probaremus. Videfis Suarez. *l. cit. n. 11. § 12.* Van Ma-
stricht *loc. cit. thes. 4. pag. 234.* Cloz. *Pneumat. Dissp. XIII. §. 16.*
pag. 665.

§. XXVII.

At si, objicis, in DEO datur vita intellectualis, sensi-
tivam supponens, sicuti hæc vegetativam. Ergò & sensitivâ
DEUS vitâ erit præditus, quod ἀτοπον; Resp. Vitæ intelle-
ctualis gradus ut sic, in sua puritate sumtus, nullam infert
vegetativæ & sensitivæ subordinationem, maximè, cum
inter hominum rationalis & sensitivæ connexionem cogno-
scimus *imperfectiorem* à DEO longissimè removendam.

§. XXIX.

Cœterùm, formale etiam vivendi, cum DEO perfe-
ctissimum ex parte nostri assignavimus, illud paucissimis cor-
roboremus, operæ erit pretium. Diximus verò in antece-
dentibus, non esse distinctum formale illud actum primum
vitalem ab actu secundo vitali, prout in Creaturis quidem de-
prehendimus distinctos.

§. XXIX.

Pro hâc sententia ita colligimus: Quodcunque est ens
simpliciter simplicissimum, ab eo omnis compositio realis
procul abest. Atqui DEUS &c. E. Major ex terminis per
C 2 se

se nota erit. Minorem probat perfectio atque DE I actualitas. Ulterius ; In quem nulla cadit realis compositio, ille utique distinctionis inter vitæ actum primum & secundum expers est. Atqui in DEUM. E. Majorem statumino, quia ex actu primo vitali & operatione vitali statim oritur compositio realis, ratio, quia ut causa & effectus realiter differunt, ex potentia receptiva, actus enim primus operationem à se elicitam in se recipit, & actu. Conf. Cloz. *Pneumat. Dissp. XII. §. 6. p. 649.*

§. XXX.

Deinceps contrariæ obstabit sententiæ *purissima DE I actualitas*. Arguo ; Quicumque est actus purissimus, ille non est ex actu vitæ primo & secundo compositus. Atqui DEUS. E. Majoris probatio est, quia actus purus omnem excludit potentiam passivam. At actus primus est principium passivum recipiens in se secundum. Minor ex DE I perfectione patescit. Conf. Cloz. *l. c. p. 650.*

§. XXXI.

Porrò ex DE I *Independentia* pro DE I vita sic inferimus : Quicumque est independens, ille non admittit inter actum vitæ primum & secundum distinctionem. Atqui DEUS. E. Majoris exinde elucet robur, quia actus primus vitalis per veram efficientiam secundum producit, adeoque dependenter in esse ab illo. Minor ex subordinatione causarum processum in infinitum non admittentium colligi potest. Conf. Cloz. *l. c.*

§. XXXII.

Accedit infinita DE I *perfectio* ; Inde sic nectamus terminos ;

minos: Quicumque absolutè perfectissimus omnes omnino saltim nobis cognitæ in eminentissimo possidet gradu perfectiones, illi imperfectio, quæ est inter vitæ actum primum & secundum, tribui nequit. Atqui DEUS &c. Ergo. Major probatur, quia actus primus perficitur à secundo maximè, cum ultima naturæ perfectio in operatione sita sit. Minorem superius dicta confirmare possunt. Conf. Cloz. l. c.

§. XXXIII.

Idem docere etiam ipsam DEI *æternitatem* hoc formaliter potest confici Syllogismo: Quicumque ex vitæ actu primo & secundo est quasi conglutinatus, ille neutiquam erit æternus. Atqui DEUS est æternus. E. Majorem firmo stare talo inde patet, quia aliàs vita partibus suis componentibus posterior esset. Jam verò in DEO actu sive essentiâ merâ non datur, ut suprâ monui, prius & posterius. E.

§. XXXIV.

Imò vel maximè ex *immutabilitate* DEI deprompta ratio funditus in DEO illud tollet discrimen. Argumentor: Cujus natura & essentia planè est immutabilis, ille omnino vitæ inter actum primum & secundum respuet differentiam; Atqui DEI natura &c. E. Major, quia talis compositionis comes semper erit aliqualis à DEO alienissima mutabilitas, elucescit; Minoris prohatio ex DEI actualitate & simplicitate manifesta erit.

§. XXXV.

Quod reliquum est, etiam formale vitæ in DEO diximus non esse per modum actus secundi talis, qui sine inter-

C 3

venien-

veniente actu primo immediatè ab ipsà DE I essentiâ sit elicitus. Illud, præter quod actus secundus semper dicat respectum ad primum sequenti denique conficimus ratiocinio : Quodcunque est maxima, *summa DE I perfectio*, illud non poterit consistere in actu aliquo elicito sive producto. Atqui DE I vita &c. E. Majorem ex absurdo neminem facile sub dubitationis aleam revocaturum, opinor, petitam. Minor ex suprâ dictis firmari poterit. Conf. Cloz. l. c. p. 650.

§. XXXVI.

Quibus vela contrahentes nostræ imponimus finem exercitatiunculæ, veniam in lapsis humanitatis expectaturi, aliis decoctiora relicturi.

T A N T U M !



ΕΠΙΜΕ-

ἘΠΙΜΕΤΡΑ.

- I. Non est primus de DEO conceptus
Vita DEI.
- II. Jurare per vitam DEI quandoque
licitum est.
- III. Vitam in abstracto de DEO præ-
dicare nullam ipsi infert compo-
sitionem.
- IV. Non ideò, quia vita DEI cum acti-
bus inde vitalibus intellectione
& volitione nil nisi ipsissima in
se est essentia, tollitur divina li-
bertas.
- V. Uti DEUS solus exclusivè EST, ita
absolutè etiam VIVIT.
- VI. Judæi, Turcæ, paganiq̃ue similes
hodierni VERUM neutiquam
adorant DEUM.

SOLI DEO GLORIA.

Coll. dres. A. 29, misc. 56